

*saltatoria* quæ *Tschingenes* appellantur. Existimo vocem nostram esse derivandam ex *Sebaga*, *erravit*, *aberravit*, *oberravit*, & respicere affectum cantantis, quem per varios sonos, quandoque dissonos oberrando expressit. Fundamentum meum invenio in antiqua Græcorum Musica. Alypius in Introductione Musica a Meibomio versa, p. m. 2. scribit: *Sonorum alios esse stantes, ac perpetuos; alios mobiles ac vagantes.* Paulo post addit: *mobiles dici, quod in diversis generibus diversas recipiant tensiones.* Existimo itaque Schigjonth esse carmina, quæ sonis vagantibus, quos Hebræi errantes appellarant, fuerunt decantata. Sonos vagantium, quos loco citato recenset Alypius, invenimus imprimis in Modo Dorico l. c. p. 19. Et Clemens Alexandrinus Musicæ antiquæ & Græcæ peritus scribit: *Davidem DELM concinne & numerose laudasse, Doricæ autem harmoniæ maxime convenire concinnum (ἐναρμόνιον) genus.* Lib. VI. Stromat. Martianus Capella in Nuptiis Philologicis L. IX p. m. 184. describit vagos & errantes sonos, dicitque: *eos interdum longiora interdum minora spatia recipere.* Inde cognoscimus Schigjonth Hebræorum fuisse decantata sonis quandoque longioribus, quandoque minoribus, ad modum Dorium Græcorum. Præterea invenimus in Severi Alexandrini Patriarchæ Ritibus baptismi Collectam a sacerdote in Actu baptismali legendam, quæ Syriace ex eadem Radice, *Sugita* appellatur & ita sonat: *Fratres mei, psallite hymnum, Filio Dominatoris omnium, qui regum corona vos coronavit, peroptate eum, immutate vestimenta vestra &c.* His omnibus consideratis existimo: *Siggajon* denotare modum sonorum errantium, secundum quem carmina fuerunt recitata vel cantata, modumque illum cantandi fuisse gravem, ferium & devotum; Qui accuratius Græcorum Musicam intelligit, quam ab ipsis Græcis discen-

discen-